...ncisius

Mathiae Pauli Clangor tubarum
feralis.

CLANGOR TVBARVM FERALIS, LAVREATO HEROI,

Nunquam morituræ Gloriæ Imagini,
DOCTORVM GEMMÆ,
Mentium Eruditarum Pretio
& singulari Coronamento;
PERILLVSTRI olim CLARISSIMO ET ADMODVM REVERENDO D.

D. M. FRANCISCO
DE PRZEWOZKI
PRZEWOSKI

Sacræ Theologiæ Doctori & Professori, Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Floriani Præposito, Canonizationis Beati IOANNIS CANTII Procuratori, S. R. M. Secretario &c:

VLTIMVM VALE

In Celebri & præclara SS. TRINITATIS Basilica, Candidissimi Ordinis PP. Prædicatorum Metropoleos Regni Poloniarū,

RECINENS;

devotô calamô
affectûs in Patrem pientissimi ergò
A



M. MATHIA PAVLO CELEIOWICZ,
Philosophiæ Doctore, interea in Collegio Vladislaviano Novodvorsciano Studij Generalis, Cracoviensis Dialectices Professore, Contubernij Sisniani Seniore, Sacræ Regiæ Majestatis Secretario.

EXPRESSVS

Anno Domini 1701. Die 28. Maij.

CRACOVIÆ

PERILLVSTRI, ILLVSTRI, CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, & Admodùm Reverendis Dominis,

D. M. ANDREÆ KRVPECKI,

V. I. Doctori & Professori, Ecclesiarum, Collegiatæ, SS. Omnium Custodi; Parochialis, Luborzycen: Curato; Contubernij Philosophorum Provisori &c.

D. THOMÆ PRZEWOSKI,

Equiti Polono;

D. M. IOANNI GRYMECKI,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegæ Minori, Ecclesiæ Parochialis Ibramovicensis Curato, S. R. M. Secretario &c:

Voluntatis Vltimæ Pientissimis

EXECVTORIBVS

Author S. & P.



Iam sidus è conspectibus nostris abit,
Iam Lucis immensæ condit jubar suum;
Iam Lampadem claro micantem lumine
Ploratibus Nostris pijs extinguimus,
Et satis haud unquam dolendum; lacrymis
Cadentibus lavamus Illustrem virum;
Quem mille gaudijs Genitrix Inclyta
Servare gestiret, perennitatibus.
Vestro super sinu, scientijs Caput
Sublime componens, graves doloribus
Causas tulit Vobis: in æternam suos
Claudens ocellos noctem acutos, intimas
Fibras recludens pectoris, tumq; abditos
Mentis recessus explicans, & vltimum
Vale perorans, Sacratis sortem suam
Negotijs dedit locandam, MENTIBVS,
Qvæ fulcra sunt Cracij Lycæi grandia.
Vivet proinde seculis perennibus,
Vestris adauctus gloriæ proventibus,
Solatium magni doloris consecrans
Votis parem affectum, suamq; gloriam,
Quæ, juncta, vos, servabit æternis diu
Annis, SECVNDOS, INCLYTOS, FAVSTOS, PIOS

CLANGOR
TVBARVM FERALIS.

MVrmura densa boant, sœvi stridentq; tumultus;
Vocibus horrificis totus compellitur æther,
Insolitos motus imo sub pectore miscens;
Plebs clamosa gemit querulo prostrata dolore,
Luctibus & mœstis tranquilla silentia ferre
Clangori satagens; causas cûi dicere tristis,
Debeat illa metûs? Marti ne? feræ ne Sorori?
Ignorat. Mens namq; mali præcoce recentis
Labitur accessu. Quæ tanta licentia mœsti
Fit Litui! vel quo metuendo Numine tantus
It strepitus cœlo? Laurus qui sternit opacas,
Germen Apollineum gemino spoliatq; decore!
Percensent mortale genus, majora fovendo
Mentibus in tacitis: cœlum jam fortè fragore
Lapsurum sperant, si, quô, per longa venustæ
Aonides tacitè gradiendo silentia tendunt;
Ac ubi fatidicæ pendent redolentia serta
Arboris; Augusti nunc hæc Fastigia Tecti,
Atro fœdantur squallore strepuntq; boatu.
Hoc cecidere Duces Summi Clangore vocati;
Hoc Lituo stratus Proles invicta Philippi
Pellæus Iuvenis, cujus manus hæc Orientem
Hesperios fines prendebant altera felix.
Hæc Tuba fulmineum pectus prostravit Iüli
Quod rigidus Mavors cœca sub grandine teli
Servârat tutum: Spes hôc fidissima Teucrûm
Armipotens Hector, Danaûm Timor, ardua Trojæ
Turris, & indomitus Trojæ Populator Achilles;
Hôc cecidit, quodcunq; fuit memorabile nomen,
Hôc Reges, Populiq; Duces, ac agmina vulgi
In momenta cadunt Lituo; nec sufficit unquam.
Hæc ubi cum gemitu dixerunt Turba, dolore,
Luctibus atq; pijs lacerant præcordia: tanti
Præscia Musa mali, causas expromere dictis
Flebilibus cupiens, fundit pennâ hæcce dolente:
Infandos Libitina ciens sub pectore luctus
Non mundo toti, populis non noxia cunctis
Est, sed crudeli sapientes vulnerat ictu.
Nam tulit ipsa pedem sacrata per ostia Phœbi,
Aurea Gemma Virûm, Doctorum Germen, & altum

Decidit unde Decus, viduantur Numine Musæ,
Delicijq; sui patientes noxia damna,
Exanimi vultus niveos pinguntur & atro
Vnde colore genas! cecidit sub viscera terræ
Amnis Castalius, tristis venit undiq; rebus
Et facies; PRZEVOSCIVS Inclyta Gloria quando
Astrorum flammas radiantes condidit inter
Vsq; caput. Monstrum truculentum, pallida Lethes
Vmbra? quid! o Libitina facis? quid murmure tanto
Corda hominum misces! Lituorum quod Tibi tantum
Inflandi studium! quis recreat impiger iste
Teq; labor! furor iste quis est! quæ tanta cupido
Nomina Dictynnæ capiendi hominemq; novandi!
O Parcæ! quas nulla movent promissa, nec ullus
Flectit honos! Regum Diademata, Sceptra, Coronas
Herculeasq; Ducum Clavas, quæ vindice dextra
Quassatis, casti Musæi gaudia festa
Cur rapitis nobis FRANCISCVM! Gratia sedis
Æthereæ Cui Orbe super non mille trophæa
Construxit, nomenq; dedit fusum spatiosos
Orbis in anfractus: non immortale cupivit
Namq; nihil, socium sibi sed quod volveret œvum.
Illius vitæ simulac aurora reluxit,
Et Lucina Parens expandit lampada cœli,
Heroum Sanguis meritorum luce coruscus,
Numinis auxilio par summis, pectora sacro
In se cunctorum felix rapiebat amore,
Ad Cunas placidas Heliconis Numina Pulcher
Cynthius Ille velut certatim dulcè trahebat:
Munera qvæq; suis cum votis sponte ferebant
Afflando, monumentaq; gestaq; clara Virorum
Et Tragicum Comicumq; melos, cantumq; dolentem;
Et Tybiæ Cytharæq; modum, motumq; supernum
Astrorum, Solisq; vias, Lunæq; recessus,
Et decus omne poli callere dabant. Redimitus
Frondibus ergò sacris Cracias cùm tendit ad Ædes
Delius ecce Augur, splendens Latonia Proles
Sede sua motus, tantis splendoribus auctum
Suscipit & binas componit vertice Vittas,
Perq; Sophûm magnis illustrem dotibus altas
Fert Cathedras, ubi semper ovat, gestitq; triumphans
Corda Virûm, placidos sinuans PRZEVOSCIVS arcus.
Jam Lechicum Litavumq; polum, terrasq; patentes
Nomine complevit, se major, sole sub uno
Nectere triste moras ducens, toties rutilante
Murice conspicuus, Nexus & Dogmata solvens
Ardua, Dux, Præsesq; Sophûm, Scrutator & alti
Cœlorum cursûs, Latias contendit in oras.
En gemina Lauru renitentem Roma salutans
Suscipit, & Craciæ magnum Decus Vrbis abundis

Plausibus exambit: *Phœbeis* artibus aptum
Pæonia Lauru gaudendo ritè coronat.
Ternio gemmatæ Frondis, cum luce serena
Candidior frontem niveam jam cinxerat, ipsiûs
Sectator Solis: Perfectus lumine tanto,
Majestate nova Cracias decorare Camœnas
Quis quando potuit magè? quis geminare perenne
Et decus, & famam? quàm tunc PRZEVOSCIVS altis
Nominibus magnus, terna Lauruq; coruscans:
Qui simulac illustre suum Caput intulit, ecce
Augustale Virûm Geminum, Molesq; superba
Tectorum, quàm dulcè colunt implentq; Cohortes
Castalidum, gavisa novo super Hospite, votis
Turgere incepit pia præ se & gaudia ferre,
Queîs stimulos Magni reditús dedit Hospitis; ipsa
Pectora lætitiam valuerunt nonvc tenere:
Ille sed indulgens pallenti grandè labori
Solers, perpetuò præclara volumina volvens,
Tempore, dum tremulo radiaret lumine Phœbus,
Vel nox ardentis velaret gaudia lucis
Deformes tenebras perone per atria tecti
Aérij fundente, suus divinus funderet almos
Vt radios animus, momenta insomnia duxit.
Hinc Ostrum rutilum duri monumenta laboris
Exhibuit Latijs terris, dum nomina magna
Dulcibus arcanæ manabant fontibus artis
Præside FRANCISCO, Qui largos fronte serena,
Sudores sparsit, rorando viventia Laurûs.
Irrequieta manet mens, in qua gloria pingui
Fomite conflagrat: sic Tu dulcedine magna
Laudis inardebas, & Posnæ notus, & omni
Telluri, quam cornipotens Taurus, Venus atq;
Sideribus faustis funesto à Marte tuentur.
Cœlorum cursûs minimè speculator in ipsis
Codicibus mersus pandebas abdita Cursûs
Prodigiô magnô; sed missam sede superna
Cœlorum, invitus, sumpsisti ritè Coronam.
Namq; DEI Mystes, mysteria sacra profundo
Ore loquens, Doctor Divinus, quæ plaga stellans
Mentibus Angelicis liquit, Tu mente revolvens
Felici, stimulos arcana agitare polorum
Ipse dabas teneris animis; donec pia vota
Concordi placito Patrum Tibi præmia largi
Sudoris, Laurum supremam sponte tulissent,
Doctorem magnum clarè penetralia rerum
Pandentem castâ cinxissent Fronde Magistrum.
Conspicuus ne novo tanto splendore fuisti?
Splendor an à claro capiebat vertice celsum
Et decus & nomen? spatiosa in secla perenne
Scire nefas. Doctor nam Compita sacra Virorum

In quêis increscit Divina Scientia magno
Augmento, validis rationibus vsq; sonabant,
Vt Tuba cum Litui svevit miscere fragorem
Horrenda Æolij surgente per æthera vastum
Tempestate Patris, confusos ingeniorum
Linguarumq; modos Tu felix ore trahebas
In speciem veri. Seu ut post nubila dulcis
Cæsariem obryzo Phœbus fulgentior adfert,
Cuncti sic animi radiabant luce serena,
Te spargente diem doctrinæ publicæ & altæ.
Quis non continuas pro Te rutilantibus aris
Fundebat justasq; preces, ut nomine cunctas
Impleres terras AVGVSTINI ore tonando!
Non impensa precum fuit irrita: sustulit alas
Nuntia fama boni festiva voce soluta:
Nam Te Augustinum; nomen celebravit & ingens,
Grato quam Charites cinxerunt munere, quamve
Delicias Patriæ Cœli fecere faventes,
Mille DEI celsæ Domui solatia præstans
FASCIA, Præsuleum Decus, Inclyta Gloria nostræ
Telluris, Patriæ connectens vulnera nexu,
Ecce MAŁACHOVIî sic strinxit pectora Magni,
FRANCISCI Cracijs Censorem ut poneret oris
Quas sibi concredidit DEVS & Romana potestas.
Non potuit meliùs provincia tanta laboris
Quàm cessisse Viro, qui libris pastus abundè
Libros lustravit, claræ luciq; dicavit.
O ardens o magne labor! qui præmia serâ
Posteritate viro dignissima progenerâsti.
Regia Sacra Iovis rutilans cœlestis & Aula
Magna coronato con munera ferre labori
Actutum statuit, Fasces & Regia Sceptra
Munera Rectoris felici contulit Illi.
O fortunatos protunc Soles Academi!
Quos sine nube dedit FRANCISCI industria magna;
Et sudor stillans & semper fulminis expers
Frondenti Lauro cinctum Caput, ignea semper
Fulmina contemnens: quas Istula spumifer amnis,
Saxifragos glomerans fluctus in gurgite vasto
Efficit insignes vario splendore colorum
Najades, Triton quêis monstrat littore saltus.
Primœvos, ubi magna cohors felice juventa
Resplendet, densæ cùm nubes incubuere,
Deliciasq; soli tenebris offundere crassis
Sunt nisæ, Magnus PRZEWOSCIVS ut tulit altùm
Aurea Sceptra, manûs fulgens gestamen eburnæ,
Iupiter ecce velut, cùm moti prælia sedat
Aëris, ad votum molimina cuncta fugavit.
Quid memorem! Vindex observantissimus æqui,
Alter quæ Consus fecit, vel quæ bona Matri

Ille avulſa pridem iunxit, bona propria ſpargens;
Iſtud nàm tenuis ſuperat molimina vatis.
Dedecus eſt multis fortuna vetus, Decus illi
Parturiit; magnis nàm nidum dotibus auxit.
Famæ concelebris nimium monumenta loquantur
Ædes Divorum crebro ſplendore micantes,
Quas fervor, Zelusq; piùs, quas dextera larga
Ornavit, magnumq; decus Sacris dedit aris.
Sidus inextinctum cœleſtibus ignibus ardens,
Irradians Lumen pretioſior Vnio Regni,
Cælorum Munus non Ponti, Gemma Togatæ
Gentis, Sarmatico ſub cælo Phœbus & alter,
Palmas victrices & pacis præmia gignens
Doctis in lucis, Lux unica CANTIVS à tot
Sêclorum priſcis decurſibus Gratia, plebis
Patronus miſeræ, Nobis Laus Magna IOANNES,
Curarum impenſis FRANCISCI Romula in Vrbe
Inter Cælicolas ut ſplendeat, atq; Beatus
Nomina Sanctorum Sacris det cœtibus, actum.
Hic, quantas precibus grates, & munera coram
Majeſtate DEI referat Solennis honoris
Sincero Promotori? iam Manibus adſunt
Nunc manifeſta pijs, capiunt quos Limina Divûm.
Magnificum Templum, quod nunc ſuſpenſa ſtupeſcit
Aëre in excelſo pupilla Dei Genitricis
Matri Sacratum, per Te FRANCISCE profunda
Fundamenta tulit, queïs tantùm nititur, & tàm
Nobile opus, moles ſuperans & fana triformis
Dianæ clarum Heroſtrati crimen, & altas
Ædes Iſacidum, miracula tum Babylonis.
Conſilio felix, ſed viribus ægra ſenectus
Cùm venerit, magno feſtivum traxit honore
Te nobis memoranda Florentia, præpoſuitq;
Ædibus in Sacris FLORIANI, candida tunc Te
FLORA SINV complexa ſuo. Nam Lilia raræ
Virtutis tanta poſcebant laude coronam.
Irradiare potens quàm Limina ſacra fuiſti
LVNA FORIS, triſtis defectûs impatiens Sol
Intra; jucundus SANI FLVOR, intima cordis
Humani refovens, animarum maxima ſalus.
Heu! quam ſæva nimis, violenta & barbara mortis
Aſperitas! homines in triſtia funera torquens!
Te ſuper, immenſam rabiem ſcenâ intulit ægrâ
Tam ſecli Florem mœrentibus germine multo
Obtutibus rapiens, niveo viduanſq; decore.
O violenta manus Parcarum! neſcia flecti!
O præceps rabies! lanias quàm pectora noſtrûm
Vulnifico ferrô, lacrymas cum ſanguine fundens,
Quando Medulla Virûm, clarus Sapientis Ocellus,
Princeps, exemplar, Splendorq; perennis in ævum

B 2 Omne

Omne micans, lumen ſparſurus, luce ſerena
Iungitur æthereâ, Caput inter ſidera condens;
Lætitiæq; dies in triſtis nubila ſcenæ
Convertens, oculis lacrymas nunc exprimit udas.
Sectantur, mœſtoq; premunt veſtigia paſſu
Turba novena, Deæ Parnaſsi ſacra colentes,
Luctibus immenſis tenera & præcordia torquent.
Ordinibus magnis juſto comitantur honore,
Triſti parentantes frondenti Turba Togata
Lauru conſpicui, ſua quivis pectora pulſans
Qveſtibus aſsiduis, & fati vulnera portans
Corde ſuper medio, ſupreſsis vocibus Orbem
Implens, inſolitos renovat ſibi ſponte dolores,
Et tacito affectus iſtos ſub pectore verſat:
O miſerum mortale genus! quàm ſecla caduca
Præcipites agitant caſus! quàm fata tumultu
Eripiunt animas magno! qui clarus honore
Illuſtri, Cracio fulgebat macte Trione.
Quem in ſublime tulit virtus præcelsa Dijsq;
Æquavit, nunc Magne jaces FRANCISCE, Tuumq;
Effertur ſine voce Caput, quò pulchrius ullum
Doctius aût fuerat nunquam; ſublime cothurno
Cecropio ſtringens animos, & pectora mulcens,
Nectaream linguam quæ tanta catena ligavit
Marmore nunc gelido magis algeat unde!
Immorior triſtiq; Tuo tumulo inſero mœſti
Ima medullarum cordis: nec vivere dulcè
Te ſine languenti, nec longos ducere Soles,
Sol quando faciem rutilantem nube profanas.
Fletibus his mea Muſa chelym mergens Rodopêjam,
Et memorans altis lacrymis priſtina doloris
Quæ cecinit plaudente polo, terraq; lugente,
Mœrenti Iambo; dum Gratia mira IOANNES
Æternum in ſomnum concludens lumina caſta;
Ille Virûm Phæbus, MICHALSKI, fulgida Concha,
Et pretium & Decus omne ſui, poſt ultima fata
Te orbi monſtraret, languenti pollice nervos
Et querulam cytharam pulſat; cùm Clangor in altum
It Litui, mediò cœlò verſantur honores
Illuſtris FRANCISCI, Fama expandit & alas,
Cælitibus creſcit jucundum deliciarum
Augmentum reduente ſibi tam Prole ſuavi.
Cedite nunc ſtatione extrema, cedite Manes,
Et Veſtros iterate Lares, ſublimia Tecta;
Cernite res Arctoi Orbis de Vertice celſo:
Nunc Regni cauſas, nunc juſto Iudice coram
Nunc agitate ſimul Genitricis, quæ ubere caſto
FRANCISCVM fovit, lacrymis & proluit udis.
Hinc Amor in Superos, cum Speq; Fideq; perenni
Expanſis animam manibus capiendo; remiſſæ

Dant voci responsa meæ: qua parte beati
Consedere Manes, Cracius quà defluit amnis,
Hac medius rutilas inter clarescere flammas
Desinet haud unquam FRANCISCVS, maxima terris
Nomina linquendo, Vitutum ac agmina multa.
Hærebit cunctis nunquam mortalibus annis,
In Lechico Lithavoq; solo sic Marte secundus
Et felix acie, grandes ut vulnere labes
Præsentet sœvæ Bellonæ signa relicta,
Non tamen in medio quando procumberet igne
THOMAS PRZEWOSKI germano Sanguine satus,
Agmina Turcarum Hic violentos atq; Gelonos
Fulmineo mucrone secans, spumante cruore,
Hostibus in medijs semper confundere dextrâ
Prælia contendens, lethales sustulit ictus,
Non tamen in lethum concessit, signa sed usq;
Corpore sub toto monstrat victore: quis ardor?
Quod fuit & studium belli? quàm Patria dulcis!
Pro qua mille neces sprevit totidemq; pericla
Ostendit quantus pro Troja sisteret Hector.
Spiritus at Divûm precibus qui tempora multa
Impendit, lassumq; diu titubante senecta
Rexerat hic corpus, jam celsa regnat in auge,
Quâ DEVS Omnipotens Sanctorum & Sacra Corona
Æternùm sine fine suam diffundere lucem
Desinet haud usquam, Cracijs tristissimus iste
Mœror, & indomitus CLANGOR faustissima Musis
Secla feret nunquamve sinet deesse Coronas.

INSCRIPTIO
Sepulchralis Lapidis.

Tarda gradum quisquis præteris,
Mutum Marmor, sed vocale sum:
Ejus, quem tego Fama per me loquitur;
&, qui mê tegitur, Tibi simillimus antè,
nunc umbra hominis, non homo.

Perillustris olim Clarissimus & Admodùm Reverendus Dominus,

D. M. FRANCISCVS PRZEWOSKI

Sacræ The: Doct: & Professor, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Præpositus, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procurator, Sacræ Regiæ Maiestatis Secretarius &c.

Quâm magnum est, organorum nesciis corporibus organa dare, & elinguem lapidem vocalem facere?
hinc disce:

C. Viri

Vixit mundo,
jam non mundanus, sed cœlestis, & polo mentem fixã gerens;
Naturam, non scrutatus tantùm, sed salvauit;
Medicus corporis magnus, major animæ esse voluit:
dum, Theologus tam illustris quám ingeniosus factus est.
Omnium majestatem Scientiarum unum cepisse caput mirare,
Tam majestuosum Scientiarum Augustale
unius decolatum falcis ictu, mœreas.
Ita, parcendi nesciæ Parcæ, secutæ, quô sœva deduxit manus,
& Musicæ incumbere volentes
immani gutture Tubas Gentilitias inflârunt,
ut, pari impetu Clangorem & Corpus marmori allidèrent.
Feralis character oculos, fremitus dum aures Tuas ferit;
cor pungat, necessum.
Nam tristem urnam commune mortalium lucrum esse docet.
Hæc dum dolendo legis,
Gemitibus impleto terras,
& devotis precibus cœlo inferens Manes
Similia præstolare.





PERMISSU
MAGNIFICI DOMINI
RECTORIS.